DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA

PERTRACTANS

HAEMATEMESIM,

QUAM CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI DOMINI

PRAESIDIS ET DIRECTORIS,

CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM

D. D. PROFESSORUM

PRO

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

LAUREA RITE OBTINENDA

IN CELEBERRIMA

ACADEMIA JOSEPHINA

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

Joannes Dornauer,

Austriacus Neostadiensis, Medicus Castreusis.

In Theses adnexas disputabitur in aedibus academiae Josephinae die . mensis Junii anni 1841.

VINDOBONAE.

TYPIS JOANNIS B. WALLISHAUSSER.

Parentibus et Materterae,

Optimis et Dilectissimis

filius et agnatus
gratissimus.

Dilectissimi!

Quod diu desiderastis, tandem sum assequutus, Vestro continuo et benefico auxilio sum assequutus- — Curis et abstinentia ad metam exoptatam me conducere juvastis, quam nunc attigi, ut onera, hucusque mea gratia gesta, a humeris Vestris sumam. —

Vestra sint merita, quae bona saluti hominum peragam, qui ultimo adhuc

vitae halitu benignitatem amoremque Vestrum erga me praedicabo.

Concedatis, rogo, ut simul Domino D. Joanni Aulich, civi Neostadiensi aestumatissimo, qui mihi paternus ex multis annis fuit amicus, gratias dicam publicas.

Auctor.

Definitio et denominatio morbi.

Haematemesis (vomitus cruentus, gastrorrhagia, das Blutbrechen, der Magenblutfluss), ea dicitur ecrisium species, sub qua sanquis e ventriculo aliisve partibus vicinis venit in abdomine sitis et peritoneo contentis, e. g. liene, hepate, etc., oreque per vomitum, interdum simul per alvum ejectus.

Quodsi praecipuus haematemeseos fons in systemate venae portarum haeret, status hicce morbosus morbus niger Hippocratis (melaena, die schwarze Krankheit) audit.

Etsi conditio sanquinis, per os vomitu ejecti, raro purus, plerumque nigricans et coagulatus sit, id semper in melaena contingit, in qua sanquis rejectus atri conspicitur coloris, piceae ac viscidae qualitatis.

Differentiae ab aliis morbis similibus.

Differt hicce morbus

1. ab epistaxi, in qua vasa praeprimis narium sanquinem fundunt; vomitus aut deest, aut casu accedit. — Persuasum te habebis peracta fortiore per

nares inspiratione ore clauso et injectionibus in illas ad sanquinis coagulum solvendum factis;

2. a stomatorrhagia; deteges casum os eluendo;
3. a haemoptysi; sub tussi enim aut screatu hic fit sanquinis ejectio; non ventriculus, imo pulmo laborat, de quo symptomata morbi te edocebunt; dirigent quoque diagnosim copia et indoles sanquinis excreti, aegri constitutio et aetas;
4. a vomitu cruento neonatorum, qui sanquini ex matris uberibus hausto et deglutito suam debet originem. — Investigatio lactis et mammarum matris aut nutricis rem certiorem reddet.

Divisio.

Secundum *formam* in *acutam* et *chronicam*, ultimam nomine *Melaenae*, sive morbi nigri Hippocratis proprie insigniendam.

Respectu *characteris* in *activam* et *passivam*. Profluvium *activum* dicendum erit, ubi sanquinis vis vitalis per causas excitantes adaugetur, ita, ut sicut ex aliis partibus, ita ex ventriculi vasis egrediatur, vel ubi sanquis morbosa secretione effusus, ex hoc viscere phlogosi correpto, aut ob varias causas stimulantes a cruoris copia inundato, secedit in hominibus sanquine abundantibus, bene nutritis, aut habituali et naturali sanquinis per alias vias excernendi, evacuatione destitutis.

Ast in casibus longe plurimis vomitus cruentus *characterem* induit *passivum*, ubi sanquis ex fracto vaso-

rum abdominalium vigore et ex diuturnis impedimentis, humorum circulo oppositis, expellitnr. — Hunc characterem produnt: constitutio aegri laxa, magna virium debilitas, pulsus debilis, parvus, sanquis excretus coloris atri, solutus, putridus, calor cutis imminutus, color luridus, in plumbeum vergens.

Secundum *organon*, primo affectum; in *idiopathicam* et *symptomaticam;* illius casus rariores, quam hujus, quae observatur praesentibus organorum abdominalium indurationibus, quae sanquinem, ejus fluxum per illorum parenchyma impediendo, ad alia vasa, in quibus minor opponitur resistentia, cum majori vi urgent.

Quoad *complicationem:* in *simplicem* et *complicatem.*

Symptomata morbi.

Raro desunt *prodroma*, et morbo nunc breviore nunc longiore tempore praecedunt. Inter praecipua illorum referuntur: variae circa praecordia molestiae, tensiones, angustiae et oppressiones, sensus ardoris, pulsationis et impletionis ad epigastrium, cardialgia aut dolor punctorius et tensivus ad hypochondrium sinistrum, in aliis ad lumbos, interdum ad integram columnam vertebralem, adpetitus nunc praeter modum adauctus, nunc penitus deletus, nausea, vomituritiones, vel et vomitus materiae aquosae, acidulae, subinde ascensus liquidi acidi, acerrimi et quasi rodentis in cavum oris, quod uberiorem salivae adfluxum et famem insignem inducit, cui si per nutrimenta satisfit, oppressio et tensio in regione ventriculi augetur, cibis vero denegatis famis et ardoris sensus in epigastrio, in gasteralgiam et colicam facile transeuntis, aegrum magnopere cruci-

ant, quod symptoma imprimis observatur, si morbus vitiis lienis organicis suam debet originem.

His accedunt: singultus, respiratio suspiriosa, cardiopalmus, flatus copiosi, inodori cum levamine, vel et aucto sub dolore per oesophagum eructantes, susurrus aurium, vertigo, pulsus parvus, spastice contractus, nonnunquam intermittens, nec raro singularis imminentis quasi lipothymiae sensatio; quae symptomata enumerata partim majorem sanquinis affluxum versus ventriculum et partes vicinas, partim systema gangliorum abdominalium adfectum esse testantur.

Quamvis haec phoenomena in casibus longe plurimis morbo praecedant, alia tamen etiam P. Frank adducit exempla, in quibus cruentum ventriculi profluvium ex improviso quasi, aut saltem absque praeviis ad epigastrium et hypochondria molestiis aegros invasit.

His nunc symptomatibus per brevius aut longius temporis spatium majori aut minori vehementia perdurantibus, horror, cum calore fugace alternans, aegrum invadit; pulsatio cordis fit vehemens cum pulsu accelerato et spastice contracto, extremitates frigescunt, facies pallida collabitur, aeger de magna congueritur debilitate et anxietate sub continua lipothymiae imminentis sensatione. Oriuntur nausea, spastica diaphragmatis contractio, et tandem sequitur ejectio sanquinis per vomitum, plerumque sine tussi, quae vero et violens emesi accedere, medicumque de vera sanquinis scaturigine dubium relinquere potest.

Sanquis excretus plerumque est ater, et in grumos aut placentas sat magnas concretus, si diutius in ventriculo morabatur, nunc coloris rubentis et fluidus, si e vasis vix egressus ejicitur; nunc purus, nunc potu cibisque vel et acido aut materia biliosa remixtus, non-

nunquam massae membranosae simul ejiciuntur, Sanquis saepe corruptus et foetidus, atramento analogus expellitur.

Quantitas sanquinis excreti plerumque insignis est, nunc ad aliquot uncias, nunc ad plures libras, imo ad aliquot mensuras aestimatur, et in genere eo major, quo saepius morbus redit, et quo notabiliora vitia organica, quibus malum originem debet.

Interdum sanquis, in ventriculum effusus, per alvum descendit, et diarrhoeam cruentam inducit, nonnunquam sursum et deorsum simul ruit.

Invasione finita symptomata tensionis, oppressionis atque doloris ad epigastrium plerumque, sed experientia docente non in omnibus remittunt; aegri laevatos quidem se sentiunt, insignem tamen adcusantes debilitatem, et qui magnam sanquinis jacturam perpessi sunt, inde omnia depletionis phoenomena et effectus exhibent.

Symptomata haematemesis chronicae.

Multa symptomatum, quae haematemesi praecedere superius indicavimus, hic quoque praecurrunt. Viscera abdominalia plerumque tumentia tanguntur, et sub pressione dolent; subinde febres intermittentes pertinaces quartanae morbo viam pandunt. — Hae molestiae paulatim augentur cum anxietate et debilitate simul increscentibus; color faciei in luridum convertitur, vox fit debilis et tremula, pulsus parvus, intermittens, vix percipiendus, et sub insigni virium prostratione ac instantis lipothymiae sensu, apertis scilicet infarctis ventriculi intestinorumque vasis picea ac nigerrima regurgitatur materia, et viscerum cava inquinat, ex quibus copiosa frequentius per alvum quam per vomitum evacuatur. Haec materia, per alvum secedens, solet esse

foetidissima, quia sanquis, jam diu e circulationis viis egressus, nunc in tubum alimentarem effusus, cum stercoribus quasi confermentatus, in putredinem abit, vires deprimentem, et vitales in corpore motus destruentem; quare, quae huic morbo fere semper jungitur, virium dejectio, non adeo ex nimia sanquinis profusione, quam potius ex putrida ipsius corruptione derivanda est.

Exitus morbi.

Morbus aut sanatur, aut morte finitur, aut in alios transit morbos. — Quodsi arti conceditur, pertinaces hepatis vel lienis obstructiones solvere, aut fluxum menstruum aut haemorrhoidalem iterum revocare, morbus quidem perfecte tollitur, convalescentiae tamen statu tardissime procedente et sequelis nocivis in systemate vasorum et reproductionis diu adhuc conspicuis.

Mors inducitur per nimiam sanquinis jacturam aegri vires exhauriendo sub continuis lipothymiis et convulsionibus.

Ad morbos, in quos haematemesis transire consuevit, referuntur: indurationes ventriculi, hydrops, phlogoses lentae, suppuratio, tabes.

Non obliviscendum est, morbum huncce summam proclivitatem ostendisse in recidivas, quae semper perniciosiores comparent.

Sectio cadaverum

sequentia exhibuit:

a) ventriculum sanquine atro impletum, interdum vasis varicosis obsessum; internam illius membranam coloris subruffi aut nigri;

b) lienem nunc molis valde exiguae, durum et concretionibus quasi corneis in superficie notatum, nunc voluminis insigniter aucti et consistentiae mollioris;
c) hepar grande, ejus substantiam coloris cinerei et tuberculis jam partim suppuratis obsessam;
d) vasa brevia insigniter, et ad digiti magnitudinem dilatata, venas meseraicas et mesocolicas ad intestini tenuis fere molem et in varices amplissimas extensas, ac nigro, coagulato sanquine infarctas, et in ventriculum et intestinorum cavum patentes;
e) intestina distenta, piceam materiam, nigerrimam, per omnem hujus tubi longitudinem firmiter adhaerentem, offerentia, tunicam villosam duodeni maculis nigris absessam, subinde superficiem eorum internam, imprimis si sanquis copiosus absque vomitu ex ipsis intestinis frequentius secessit, qua late patebat, ruberrimam, ac injectis quasi vasculis undique absque ulla illorum laesione nitentem;
f) in cavo denique abdominis multum flavescentis liquidi serosi stagnantis.

In aliis cadaveribus nil hujusce morbosi detectum.

A e t i o l o g i a.

a. Causae disponentes.

Tempore pubertatis et senectutis raro occurrere videtur hicce morbus; mares minus dispositi sunt femi-

nis; praecipue vero homines hypochondriaci, ad tristitiam et morositatem dispositi, quos curae premunt, qui vitam sedentariam agunt, multumque corpore pronato studiis indulgent, qui indurationibus viscerum abdominalium, imprimis lienis et hepatis laborant; brevi omnia, quae magnam vasorum abdominis debilitatem inducunt, indeque accumulationi sanquinis favent, ad profluvia tubi alimentaris cruenta disponunt, quare qui epulis aut potulentis nimium indulgent, facillime ab haematemesi corripiuntur.

b. Causae excitantes.

Hae plerumque ejus sunt indolis, ut vehementer stimulando in systema vasorum agant, quales sunt: potulenta stimulantia, calefacientia, immodice assumta, abusus purgantium drasticorum, vehementia animi pathemata, potus frigidus post magnam corporis exaestuationem. — Creberrime sanquinis profluvia ex tubo intestinali anomalias mensium aut haemorrhoidum insequuntur. Potissimum atroci huic morbo feminae observantur obnoxiae, quae alvi sunt adstrictioris, tempore, quo menses aut imminent, aut quando postea suppressi sunt. — Interdum melaenam abusus remediorum hydrargiri et narcoticorum causat, nec non excedens ptyalismus, aut vomitus vehemens, aut diu protractus qualiscunque; porro substantiae acres, aut ventriculum mechanico modo offendentes causae esse possunt.

Nosogenia.

Diversi autores diversas proferunt opiniones,

Hippocrates vomitum cruentum morbum atrabilarium, atque materiam nigram, quae excernitur, bilem inspissatam esse putat.

Morgagni eandem fovet opinionem, quaestionem simul movens, an bilis primitus coloris atramenti sit, an fors nonnisi nigricantis, et in cavo ventriculi et intestinorum demum saturatam nanciscatur nigredinem, observationes quasdam *Schoberi* et *Budei* inducens, qui vesicam felleam eadem materia atra repletam fuisse adfirmant, quam aegrotantes durante morbo ejecerint. —

Ast veritati magis consentaneum esse videtur, nigram materiam excretam non bilem, sed sanquinem fuisse. Vix cogitari potest, tantum fellis atrae produci posse, qnantum materiae nigrae unica vel repetitis vicibus interdum excernatur. — Saepe idem aeger sanquinem merum et materiam atram eodem tempore evacuat.

Alii vomitum cruentum morbum lienis declarant, ex quo sanquis ater per vasa brevia in ventriculum deferatur, observatione suffulti, hoc organon post mortem saepe molis minoris, variis desorganisationis vitiis notatum vasaque brevia dilatata inveniri.

Licet interdum contingat, sanquinem e vasis brevibus in ventriculum effundi, id tamen non semper observatur, saepe enim e vasis coronariis ventriculi et mesenterii scaturit.

Alii fontem hujus morbi in hepatis obstructionibus quaerendum esse censent, inde nimirum sanquinis accumulationem in systemate venae portarum oriri, et hac ratione liberum sanquinis circulum arteriarum ventriculi in ejus venas minus expeditum reddi putant.

Quidquid sanquinis, arteriam hepaticam aut lienalem permeantis, transitum impedire, horum visecrum phlo-

gosim eorumque indurationem, et inde necessario fortiorem sanquinis impetum in vasa ventriculi inducere valet, huic quoque morbo producendo par est; quare nunc ex liene, nunc ex hepate morbum evolvi posse comprobatur, quin tamen proximam morbi causam sistant.

Respectu *originis* hujus profluvii *arteriosae* aut *venosae* auctores inter se magnopere dissentiunt.

Portal et *Reil* vomitum cruentum indolis arteriosae declarantes, sequentibus probant: haemorrhagiae abdominis, imprimis in hepate aut splene obtinenti, status quidam morbosus subest; organon morbo adfectum non eam sanquinis copiam ex arteria coeliaca recipere potest, quae ipsi in statu normali competit; sanquis igitur majori impetu arterias coronarias petit, per quas deinde in ventriculum effunditur; hae arteriae insigniter quoque dilatatae inveniebantur. Jecoris morbi sanquinis refluxum per venam portarum impediunt; haec nunc vena, majori sanquinis copia inundata, sanquinem e vasis ventriculi et mesenterii recipere nequit; ex quibus igitur vasis sanquis in eodem individuo modo unico, modo pluribus locis simul effunditur. In cavo ventriculi et intestinorum sanquis, longiore plerumque tempore retentus, atrum induit colorem, et majorem nisum in resolutionem nanciscitur.

Vomitum cruentum systematis *venosi* morbum *Muzel, Sprengel* et *P. Frank* enunciant, quod assertum per conditionem post mortem alienatam lienis, scyrrho plerumque inquinati, ac molis minoris, per extensiones venae coronariae ventriculi et lienis varicosas, tardum sanquinis circuitum in vena portarum et lienis, tandem per magnam quantitatem sanquinis, carboneo et hydrogenio impraegnati, et inde coloris obscurioris et dissoluti probant. — Quamobrem haematemesis ubique fere

cum morbosa viscerum abdominalium structura, turbis systematis venae portarum et fluxus haemorrhoidalis conjuncta incedit.

Quodsi tamen perpendimus, ex solo sanquinis colore nullum cum certitudine ferri judicium, cum et sanquis arteriosus sub longiori in ventriculo mora obscuriorem induat colorem: in iis casibus originem arteriosam non denegare licebit, in quibus morbus subito, et quin prodroma, conditionem viscerum abdominalium insigniter morbosam denotantia, longe praecesserint, exoritur, e. g. symptomata hepatitidis, splenitidis, fluxus menstrui et haemorrhoidalis suppressi, ac ad ventriculum conversi; exignuum scilicet temporis spatium, hoc in casu inter momentum excitans et ipsum vomitum cruentum intercedens, nullatenus sufficit, ut extensiones varicosae ad eum usque gradum evolvantur, qui venas sanquinem fundere permittat. Sub hac rerum conditione sanquinis profluvium saepissime anastomoseos, interdum etiam secretionis cruentae in ultimis arteriarum ventriculi aut aliorum viscerum, ipsi vicinorum, ramulis, hepatis imprimis, effectum sistit, quod etiam observationes *Schoberi*, *Budei* et *Hunteri* atque cadaverum sectiones, in quibus ventriculus et tubus intestinalis phlogosi correpti inveniebantur, demonstrant.

Originem vero *venosam* tum agnoscit, si morbosae visecrum abdominalium adfectiones, hepatis praeprimis et lienis, haematemesi longo tempore praecedunt, morbusque signis reactionis vasorum adauctae aut phlogoseos, ad haec organa restrictae, deficientibus, cum symptomatibus, quae organis abdominalibus infarctis, induratis, aut scyrrho inqüinatis proprie conveniunt, paulatim evolvitur, quibus fit, ut normalem sanquinis circulum in systemate venae portarum turbando, majorem

horum vasorum adcumulationem sanquinis, illius stagnationes venarumque extensiones ac rupturas, et tandem sanquinis profluvium producant. Huc observationes *Muzel, Stukeley* aliorumque medicorum, qui vasa brevia, venas ventriculi et lienis extensas atroque sanquine impletas invenere, referri possunt.

Vomitus cruentus vario modo efficitur:

1. per secretionem cruentam, quam *P. Frank* tum locum habere asserit, si haematemesis alius haemorrhagiae subpressae vices subit, atque in individuis plethoricis, bene pastis obvenit. Et revera sanquinis secretio in hoc profluvio non deneganda erit, si perpendimus, vomitum cruentum haud raro auctas viscerum abdominalium inflammationes, hepatitidem, gastritidem, enteritidem comitari, atque haec viscera in cadaverum sectionibus phlogosi aperte correpta fuisse inventa;
2. per anastomosim multo saepius evolvitur haematemesis, dum scilicet ex impedito sanquinis progressu in hepatis et lienis vasa, aut ex profluviis cruentis suppressis enascitur;
3. tandem laesionis organicae, rexis effectus est, si per nimiam arteriarum aut venarum extensionem earum ruptura inducitur.

Prognosis.

Periculum, quod haematemesis inducit, non in om-

nibus idem, id vero constat, vix ullam haemorrhagiarum esse poriculosiorem, quare praesagium in sanquinis profluviis tubi intestinalis plerumque infaustum, attamen non, ut *Hippocrates* et alii medici credidere, necessario lethale statuendum est, quum perarduum, ac non raro plane impossibile sit, morbi causam, sat cito amoveri. Non desunt exempla mortis prima statim invasione, a summa sanquinis copia, repetito sub vomitu, amissa insequutae, aut ubi saepius recurrendo tum cruenti liquoris jactura, tum functionum ventriculi diuturna subversione aegrum sensim sensimque exhaurit, et cachexias, arte haud superandas, hydropem, tabem facile producit.

Quo diutius prodroma morbo praecedunt, eo pejor prognosis; mali quoque ominis habetur, si insignes indurationes aliave vitia organica huic malo subsunt, quamvis experientia constet, vomitu cruento et haec et alia mala chronica, febres intermittentes quartanas pertinaces, molestias hypochondriacas et hystericas saepe sublatas fuisse. Morbo non tantum discriminis subest, a suppressis evacuationibus ex plethora oriundo; periodica etiam haematemesis ac menstruo et haemorrhoidali fluxui vicaria minus involvit periculum, quam aspectus tetri hujus morbi cuivis inspirat. Longius saepe tempus perdurare potest, quin aegri vitam magnopere periclitetur. — Vir quidam nonaginta vixit annos, qui quovis anno datis temporibus vomitu cruento laboraverat.

Haematemesis a materialibus exorta stimulis, uti: vermibus, bile acri, spasmis hystericis, arthritide, artis conamini saepe quidem cedit, ast haud semper absque periculo incedit.

Si febris, quam saepe huic morbo deesse observant, haematemesi accedit, pericula plerumque, nisi fluxu

cessante et illa simul disparet, augentur, eo magis, si putrido charactere notatur. — Febris lenta, melaenam cessantem insequens, partium internarum exulcerationes designat, et plerumque lethalis inventa est. — Jcterus accedens prognosim magnopere dubiam reddit.

Nisi, sanquine per vomitum rejecto, oppressio, epigastrii dolor, nausea, extremitatum frigus dissipetur, novus morbi accessus, brevi temporis intervallo futurus, instat.

Quod sanquinis excreti quantitatem attinet, periculum eodem in gradu augetur, quo major est copia sanquinis excreti.

Experientia evictum est, hunc morbum aetate provectioribus multo majores struere insidias, quam junioribus, virisque periculosiorem esse feminis.

Quodsi sub valida febri, vehemente dolore inter dorsum et pectus sanquis corruptus, graveolens, niger prodit, accedente lipothymia, vel si vomitu cruento, uti subinde accidit, nigra et pici similis ac foetida alvi dejectio jungitur, summum adest periculum, et proximam jam portendit mortem.

Therapia

sequentes generales indicationes habet explendas:

1. *Causae occasionales* inquirantur, et si agere continuant, auferantur, aut saltem imminuantur.
2. Morbus secundum *characterem* suum eminentem tractetur.

3. Tollatur morbi *effectus*, praecaveatur illius reditus.
4. *Reconvalescentia* rite promoveatur.

Quod primam indicationem, quod causae scilicet remotae anferantur, attinet, haec non ubique, praesente imprimis jam vomitu, statim expleri potest, ubi omnes medici conatus eo dirigantur, ut sanquinis profluvium sistatur aut imminuatur.

Hunc in finem substantiae acres, in ventriculo haerentes, involvantur et diluantur remediis mucilaginosis, decocto salep, solutione gummi arabici, lacte recente et ebutyrato, emulsionibus. In haematemesi, quam venena induxere, eorum antidota, quae haec ipsa destruere, resolvere, membranasque ventriculi ab eorum vi corrosiva pro tempore tueri valent, indicantur. Praesentibus saburris biliosis vomitus modo blandiore promoveatur, ut sordes biliosae eo citius eliminentur. Aliquot cochlearia cibaria succi citri bilis acredinem aliquantulum corrigunt vomitumque sedant; his vero insufficientibus vomitorium tempore, quo aeger cruentis ab evacuationibus liber invenitur, summa cum cautelà porrectum, proficuum esse potest, quod plures observationes, felici cum successu institutae, demonstrant. — Acidum copiosum, e ventriculo eructans, magnesia compescit. — Si hirudines, cum aqua impura ad ventriculum deducti, vomitum cruentum producunt, tunc solutio salis culinaris aquosa et cita eorum per emeticum amotio conducit. —Fluxum haemorrhoidalem et menstruum suppressum iis restituere remediis studemus, quae sanquinis in abdomine accumulationibus vomituique cruento non oppugnant, quare sub rerum stimulantium calidarumque fuga et victu tenuiore, hirudines ano et genitalibus adpositae, harum partium vapores et fomentationes calidae, cucurbitae ad os sa-

crum aut internam crurum faciem adpositae, pediluvia tepida, clysteres emmollientes, succi fructuum horreorum, cum aqua diluti, adhibentur. — Haematemesis, a pressione uteri gravidi deducenda, situm, in quo haec pressio cessat, aut saltem, quantum potest, imminuitnr, requirit. Vomitus cruentus violens, sub partu difficili mulierem prehendens, sat promtam foetus per artem exclusionem postulat.

Remotis causis occasionalibus morbus secundum characterem eminentem adgrediendus est.

Sub ipso vomitus cruentis accessu aeger summam corporis et animi quietem ac situm horizontalem observet; levioribus tantum stragulis sit tectus, a cibis solidis abstineat, potum, quantum potest, evitet, et nonnisi siti maxime urgente mucilaginosus, acidulus, frigidiusculus, limonada, acidum sulphuricum, multa aqua temperatum, serum lactis, cum alumine paratum, exiguis portionibus concedatur; medicus durante paroxismon reglectis omnibus medicamentis solidis, formam eorum nonnisi fluidam eligat, quibus aeger ita utatur, ut illorum quantitas ventriculum non molestet.

Si ob magnam sanquinis jacturam animi deliquium timendum est, aeger mitiori quodam excitetur modo, omnibus tamen ob redeuntis profluvii pericula caute evitatis, quae illum fortius exstimulare possent; quamvis non desint casus, in quibus vires adeo collabantur, ut pulsus vix percipiatur, extrema frigeant, ipsaque mens obtenebrata sit; hic igitur vita, exstinctioni proxima, fortioribus quoque remediis in auxilium vocatis, fricandis leniter et fovendis extremis partibus vino rubro aut infusis aromaticis, lecti tepore et odoramentis, naribus admotis, excitanda est. Lipothymia sub ipso fors vomitu cruento aegrum corripiente, me-

dici attentio nunquam non eo dirigatur necesse est, ne sanquis in ipso oris fauciumve cavo in massam polyposam concrescat, et hac ratione viam aëri, ad pulmones accedenti, praecludendo, suffocationis mortem inducat.

Rarius hic morbus *activam* agnoscit indolem, et talem tum nonnisi offert, si a causis violentis externis, a suppressis haemorrhagiis, quae in consuetudinem abierant, in individuis bene pastis, plethoricis exoritur, et hi sunt casus, in quibus methodus antiphlogistica indicatur.

Sanquinis evacuationes, nonnisi maxime urgente necessitate instituendae, medicum cautum et providum exigunt. Sauvages in vomitu cruento a menstruis aut haemorhoidibus suppressis parvam solummodo venaesectionem commendat, cum pulsus facile concidat, et saepe, ni aeger brevi exspiret, insuperabiles lanquores vel hydrops insequantur.

Multo plus a depletionibus sanquinis localibus per hirudines ad anum et enematibus emollientibus sperare licet, ac ubi ventriculus medicamina, interne assumta, fert, emulsa oleosa, potus mucilaginosi, mitiora purgantia acidula, cremor tartari, pulpa tamarindorum exigua dosi proderunt.

Haematemesis multo frequentius *spasticam* prae se ferens indolem, remedia quoque antispasmodica desiderat; potius externe quam interne applicentur.

Ab initio remedia, mitius agentia, dosi refracta conducunt, omnia evitando, quae vasorum actionem magis incitare possint. Emulsiones ex seminibus papaveris albi, amygdalis dulcibus cum aqua florum tiliae, cerasorum nigrorum, admixto syrupo papaveris rheados, aut exiguae doses aquae cinnamomi aut menthae

piperitae medici votis respondebunt. Infusum concentratum foliorum digitalis, cochlcatim porrectum, commendatur. In casu desperato, ut nisus ad vomitum mitigetur, ad ipsa remedia narcotica, minima dosi dispensanda, ut extractum hyoscyami, aquam laurocerasi et ipsum opium confugiendum est; ast quum ultimum perniciosissimam alvi obstructionem et sanquinis coagulati in tubo intestinali retentionem inducat, clysteres simul aperientes, imprimis cum oxymele simplici, in auxilium vocantur.

Ceterum experientia docuit, in omni stomachi haemorrhagia cum opiatis et narcoticis cautissime esse mercandum, quum virium dejectionem, quae nunquam non in hoc morbo praesto est, magis adhuc in summum aegri detrimentum augeant.

Internis medicamentis efficaciora remedia externa adhibenda se comprobant, quae in pediluviis cum cineribus aut farina seminum sinapis, balneis tepidis universalibus, vesicantibus et sinapismis consistunt.

His adjunguntur cucurbitae siccae, regioni ventriculi adplicitae, cataplasmata emollientia, fomentationes ex herba cicutae, hyoscyami, absinthii et floribus chamomillae, ventriculo impositae, inunctiones oleosae cum camphora et opio.

Quodsi hoc sanquinis profluvium ex causis debilitantibus, resolutione humorum nascitur, vel si sanquis tanto cum impetu copiosus prorumpit, ut aeger sine magno vitae discrimine sibi ipsi relinqui non possit, promptissimam eorum remediorum adplicationem postulat, quae vasorum actionem incitare, sanquinis profluvium sistere, viribusque aegri succurrere valent. Huc pertinent acida mineralia diluta, praeprimis acidum sulphuricum, aqua frigida ad gratum acorem et

mucilagine gummi arabici remixtum, elixirium acidum Halleri, succus punicae granati (P. Frank). Nonnulli alumen, parva dosi adhibitum, proficuum observarunt. Bang sero lactis, cum alumine parato haematemesim sanavit.

Si vero a sumtis acidis aegri dolorem in ventriculo sentiant, aut ab alumine nauseam et vomitum frequentiorem adcusent, ab iis mox abstinendum est.

Decoctum chinae, extractum myrrhae aquosum tum imprimis in aegri emolumentum adhibentur, si morbus longiorem amat decursum, aut ex laesione organica; praesertim ulceribus, exulcerationibus ventriculi aut viscerum vicinorum suam repetit originem.

His adstringentibus saepe tinctura cinnamomi et radix colombae in connubio cum lapidibus cancrorum opportune adjunguntur. Notatu tamen dignum meretur, a validioribus stipticis summo studio esse cavendum, nullamque dari haemorrhagiam, quae in eorum adplicatione medicum cautiorem desideret, quam vomitum cruentum; his enim sanquinis eruptio quidem sistitur, sed quum partes affectae medicamentorum actionem immediatam experiantur, sanquis in vasis stagnans aut gravem inflammationem, aut in corpore cachectico ventriculi indurationem, vel transitum in hydropen expedit.

Alia, quae in hoc morbo magnopere laudantur, remedia sunt balsama nativa, imprimis oleum terebinthinae, cujus decem guttas cum vitello ovi et aqua in emulsum redactas aeger pro dosi haurit.

Instantis demum quasi mortis sub periculo ipsum adhibetur frigus; adhibentur fomenta frigida ex glacie contusa aut nive ad ventriculi regionem, et aeger interne quoque frustula glaciei, vel aquam frigidissimam

aut secundum P. Frank alcohol cum aqua frigida et sacchari portione nuptum parva dosi propinare potest.

Si pacato guidem vomitu novus illius paroxismus timendus esset, quod ex molestiis in epigastrio perstantibus, extremitatum frigore et faciei pallore cognoscitur, aegro summa corporis quies imperanda est, nec si alvum facile cruentam, quam nunc enematibus quoque promovere juvabit, deponendo necessitas subveniat, ut lectum deserat, permittatur. In reliqua cura, minori licet intentione, continuetur necesse est, imprimis acidula, serum lactis cum succo citri aut acido sulphurico paratum, lac ebutyratum, omnia frigidiuscula, saepius ac exiguis portionibus concedantur.

Morbo penitus sublato medicus adnitatur, ut nocivae quoque haematemesis sequelae tollantur. Quum sanquis in tubum intestinalem effusus, nisi cito per alvum eliminetur, facile putrescat, malaque vomitu cruento pejora inducat, ad clysteres, alvum leniter moventes, transeundi necessitas erit, fortioribus remediis purgantibus, ne ventriculum et intestina, morbosa adhucdum sensilitate instructa, nimis stimulent, sedulo evitatis.

Quodsi nunc vires aegri collapsae exposcunt, et ventriculus non repugnat, victus nutriens, digestu tamen facilis, juscula carnosa, oryzae et hordei decocta, ova sorbilia concedi possunt.

Viribus sensim redeuntibus, ad curam haematemesis radicalem transeundum est, quae in eo consistit, ut variae, quae huic morbo subsunt, conditiones pathologicae, ad quas sanandas morbo ingruente ob periculosiores sanquinis evacuationes minor ratio habita fuit, tollantur. Quae igitur adsunt viscerum obstructiones, remediis leniter solventibus: rad graminis, tara-

xaci, terra foliata tartari abigantur. Hypochondria, hysteria et febris intermittens sanentur.

In cura convalescentiae conamina medici eo dirigantur, ut insignis debilitas universalis tollatur, organorum digestionis relicta sensilitas compescatur, atque per congruam vivendi rationem recidivae praecaveantur.

Victus quidem sit nutriens, tamem digestu non difficilis; ab initio nutrimenta forma fluida concedaintur, donec ventriculus solidiora perferat; quidquid aeger adsumat, parca manu, sed frequentius ipsi porrigatur, ne stomachus a majori copia oneretur, sedulo simul evitatis potulentis stimulantibus, spirituosis. Aeger magnopere caveat ab omni vehementi animi affectu, alvi obstructione et extremitatum inferiorum refrigeratione.

Inter remedia, quae huic statui conducerent, ab initio solventia mitiora, gramen, taraxacum, fumaria, serius leviora amara: trifolium fibrinum, quassia, infusum chinae, frigide paratum, et sub magna tubi intestinalis debilitate tinctura rhei proficua se praebent; ad curae finem mitiora ferri praeparata, ubi feruntur, in auxilium vocari possunt.

Literatura.

Hippocrates libr. II. Sect. V.

Hoffmann Fr. med. rat. syst. T. IV. P. II. p. 66.

Alberti M. diss. de vom. cruent. Halae 1729.

Luther C. Fr. diss. de vomit. cruent. indol. et cur. Erf. 1752.

Jacobsohn Jos. M. diss. de vom. cruent. Fr. a. V. 1786. 4.

Bednarczyk I. diss. de morb. nigr. Hipp. Fr. a. V. 1773. 4.

Tissot Epist. med. pr. S. 1. f. C. G.

Girard dissert. de Melaena. Argent. 1789.

Marcus diss. de vom. cr. Frankf. 1790.

Haehn de morb. nigr. Hipp. vomit. et diarrh. cr. Jenae 1796.

Warburg W. diss. de haematemesi Fr. a. V. 1803. 8.

Frank P. de cur. hom. morb. S. V. P. II. Mannheim 1807.

Spangenberg G. A. über die Blutflüsse in medic. Hinsicht. Braunschweig. 1805. 8.

Reil J. C. über die Erkenntniss und Cur der Fieber. 3 Bd.

Raimann J. nob. ab Handbuch der spec. Patholog. und Therapie 2. Bd. 4. Auflage. Wien 1831.

Theses defendendae.

I.

Haematemesis frequentius passwam, quam activam agnoscit indolem.

II.

Cura symptomatica summi est in praxi momenti.

III.

Sanitas infantum utplurimum sanitati parentum debetur.

IV.

Contra morbos haereditarios educatio justa optima prophylaxis.

V.

Medici fama facilius obruitur quam medicastri.

VI.

Ligatura partis funiculi foetilis post partum non negligenda.

VII.

Non datur stricta divisio remediorum diureticorum et sudoriferorum.

VIII.

Acarus scabiei non est causa, sed effectus processus scabiosi.

IX.

Non inepte agunt, qui aqua extractos capite solo obvertunt.

X.

Studium historiae medicinae criticum medico pernecessarium.

XI.

Medicus curat, natura sanat; hinc multi sanantur male curati.

XII.

Non morbum solum, sed et aegrum medicus tractandum habet.

